




Politikai
röpiratek.

157.





75



1397 - 1403

1. Causa religionis. 1790.

2. A polgári társaságok boldogító' fejedelemi aranyok. I.
végkiáltásának előadta Dimeény József. 1835.

3. A járosoknak és kunoknak Maria Theresia által adta
gyolmest. kir. kiváltságos level. 1839.

4. Szózat a haladai barátság. Bene János. 1841.

5. Gyűjtemény emléke. Táncsics Mihály. 1848.
1401-1402

6. Lese Blätter aus meinem Tagebuche. Stavenow Jahr


154.



CAUSA RELIGIONIS
A
COMITALI DELIBERATIONE

LIBERA
EX LEGIBUS PATRIIS,
ET PROPRIIS
PROTESTANTIUM ACTIS

DEMONSTRATA



BUDÆ,

Typis Regiæ Universitatis Pestiensis, Anno 1790.

1880

A. M. N. MUSEUM
KÖNYV.
TÁRÁBÓL

MÁSODIAT
A. M. N. MUSEUM
KÖNYV. TÁRÁBÓL



INCLYTI STATUS ET ORDINES!

Ex hactenus frequentatis concernentium
circularum, & respectivatum depu-
tationum, sine elaborandæ sanctionis diploma-
ticæ ordinarum congressibus luculenter dudum
cognovimus, ipsaque experientia docti sumus;
Incl. SS. & OO. Studia, ac Suffragia magnam
partem eo prorsus, aut inclinata jam esse, aut
propius saltem propendere, ut objectum seu
meritum religionis ad stabiliendum Augustanæ,
& Helveticæ Confessionis liberum exercitium,
secundum pacta Viennensis, & Lincienfis pacifi-
cationis definiendum, mox memoratis diploma-
ticis conditionibus inseratur. Quia vero ex
quo jam tempore Apottolicum hoc regnum u-
na cum partibus sibi adnexis electivo suo statui,
in quo cum adoptando in Regem Principe,
quibus collibitum fuit Conditionibus, paciscendi
A 2 plenam

plenam habuit potestatem, sponte, ac libere cessit, & renunciavit, *jusque successionis hæreditariæ, & primogenituræ*, ut loquitur *Articuli 5. §. 5. Anni 1547. injuria temporum non nihil obscuratum, pristino vigori*; ut habet diploma Josephinum, & *luci postliminio restitutum fuit*, continuaque deinceps Augustæ domus Austriacæ hæreditaria successio legetenus definita, conclusa, & constabilita est, objectum religionarium numquam in diplomate regio, seu Josephino, sive Carolino, seu demum Theresiano locum obtinuit; æquitati consentaneum est, hoc in passu nihil esse innovandum, usu ipso, & consuetudine repugnante tanto magis, quod

2do. Ex ipsa indole, & natura sua diplomaticæ pactiones ad ea dumtaxat objecta se se extendant, quæ ad commune civitatis bonum dirigi, & ad promiscuam totius regni felicitatem procurandam pertinere dignoscuntur, adeoque nequeant ad particularia unius alteriusve Confessionis aut hominum societatis commoda, præsertim cum aperto Inclyt. Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclavoniæ regnorum, complurium item regiarum liberarumque Civitatum præjudicio, & indeclinabili privilegiorum jactura derivari. Quin immo

3tio. Quandoquidem diploma regium nihil aliud sit, quam conventio, seu contractus Regem inter, & Regnum ultro, citroque stipulatus, suapte consequitur, in illud tales dumtaxat conditiones referri posse, ac debere, in quas omnes omnino SS. & Ordines unanimi consensione coaluerunt, quis autem non videat populum, ac præprimis Clerum Romano-Catholicum pacto de stabilienda Augustana, & Helvetica Confessione non modo accedere, & assentiri non posse, sed manifeste potius adversari oportere. Etenim

4to. Fundamentalis inconcussæ Catholicæ religionis, ac fidei Articulus est: hanc unam, ac solam esse salvificam, nec proinde extra illam æternæ beatitudinis aditum ulli patere; quod cum credere, & profiteri homini Christiano Catholico characteristicum sit, quemadmodum Domini Protestantes liberam, & immunem ab omni coactione conscientiam sibi relinqui contendunt, ita nos conscientis nostris vim inferri non patimur, ut ad stabiliendam quamvis, a Romano-Catholica alienam, religionem assensum præbere ulla ratione coarctemur. Istud vero Principium

5to. Militat perinde, immo præcipue, pro Principe in Regem coronando, utpote cuius ea-

dem nobiscum est Fides , eademque professio , & qui se verum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium ultro profiteretur , verusque Catholicæ religionis sectator , & re ipsa est , & esse ex ipsa lege nostra municipalis , atque fundamentali constitutione debet. Ut adeo ad procurandam subditorum suorum æternam non minus , quam temporalem felicitatem mediis eo conducentibus geminato Regis , & Apostoli munere teneatur ; quo in munere obeundo , & rite explendo violentiam profecto , & obstacula gravissima perpeti deberet , si in religionis negotio sibi pacta præscribi sineret , legesque , seu conditiones dictari pateretur. Tametsi enim

6to. Calamitosissimis olim temporibus , inque afflicto regni hujus Statu , ac tristissima rerum omnium facie divos quondam Hungariæ Reges Mathiam 2^{um} , & Ferdinandum 3^{um} ad pactiones quasdam , seu transactiones mediantibus Vindobonensi , & Linciensi pacificationibus , super libero Augustanæ , & Helveticæ Confessionis usu & exercitio condescendisse in comperito sit , id tamen etiam exploratum , & indubium est : Eisdem hos terræ Principes extremorum Reipublicæ malorum , *ne tandem propriis , & intestinis dissidiis conflagraret* , miseratione commotos , atque adeo siebili , ac sempiterna oblivione tumulanda necessitate , *ut tandem*

dem scilicet *Christiani sanguinis*, quo tota, qua late patet, regio tunc redundabat, *profusio- ni parceretur*, adactos eas conditiones accepisse. At vero nobis ab illa temporum iniquitate liberis, ac securis, quæ ratio, quodve consilium potest imponere, ut ad redivivas easdem invisas una cum auctoribus suis conditiones amplecten- das optimum, ac religiosissimum Principem in- vita, & reluctantæ sua conscientia sollicitemus? Potest enim vero jure, ac merito ambigi, num in ejus positum sit arbitrio, & regis plenitu- dine potestatis: inter conditiones diplomaticas Augustanæ, & Helveticæ Confessioni propitiæ, ac favorabilem aliquam acceptare, & jureju- rando confirmare; licet namque per Articulum 21. 1687. dispensatio beneficii in Articulis 25. & 26. Anni 1681. concentrati ad gratiam, & clementiam regiam ea ratione relata sit, ut illud ex integro, vel in parte seu concedere five ne- gare valeat, adjecta nihilominus, & Articulo 30. 1715. denuo repetita particula *adhuc* eam- dem potestatem adeo circumscripsit, ac limita- vit, ut memoratum beneficium possit quidem Princeps concedere ad tempus tam determinâ- tum, quam indefinitum, concedere tamen in perpetuum, & irrevocabiliter nequaquam possit, idquod reipsa, & effective præstaret, median- te diplomate suo regio beneficium largiendo, redderetque istud contra finem, & spiritum Ar-

ficulorum 21. 1687. & 30. 1715. perpetuum, atque irrevocabile ex parte quidem sua propter adjectum juramenti Sacramentum, ex parte autem successorum, ac posterorum suorum ex virtute puncti 5. diplomatis Carolini, ac Theresiani, quo ad acceptanda, & juramento affirmanda diplomatica antecessorum suorum pacta etiam isti continua serie obligantur. Quamobrem etsi idmodi beneficium viis, ac modis aliis petere, aut periclitari integrum esset, ab ipso nihilominus diplomate longe alienum est, atque abhorret. Nam

7mo. Religionariæ omnes omnino Causæ vigore Articuli 30. 1715. a substrato, & Comitibus regni concernente tractatu simpliciter avulsæ, ac privative ad thronum, & tribunal regium advocatæ habentur. Hujus porro Articuli tenores non interrupta ad hoc usque tempus interpretis consuetudo ad eam lucem, & claritatem provexit, ut non videatur quidquam aut in sensu obscurum, aut ambiguum in terminis superesse: Quin ipsi adeo Domini protestantes occasione publicati tolerantialis edicti, cum in generali Inclyti Comitatus Pestiensis confesso ex parte Romano Catholicorum, facta ad proximam regni Diatam provocatione, contradictio intercessisset, præcitatæ legis præsidio usi, scriptam, & communi nomine compilatam declarationem Inclyt. Universitati porrexerunt, qua disertissime

asseverabant, negotium religionis neque ad jurisdictionem Comitatusensem, neque ad Generalia regni Comitata, sed pure, ac præcise ad gratiam, & clementiam regiam pertinere; hanc porro declarationem suam primum in generali illo congressu palam recitarunt, postea ad thronum regium dimiserunt; nos autem genuinum ejus transfutum isthic obsequentissime adnectimus, ut tanto evadat luculentius, & dictante lege, & interprete consuetudine, & denique ipsorummet Dominorum Protestantium Confessione, religionis negotium inter objecta comitalia, ac tanto a fortiori in opere diplomatico, locum amplius non habere. Illud autem præ omnibus

8vo. Nobis conceptu difficile videtur, quibusnam motivis, & rationibus induci poterint, Inclyti Status & Ordines, ut negotium religionis secundum pacta Viennensis, & Linciensis pacificationis, concernentiumque Articulorum 1608. & 1647. dictamina deinceps tractari vellent ac postularent; Etenim, ut ordine inverso ordiamur a posteriore, hujus Linciensis pacificationis inarticulationi, quantum ad puncta religionis, solemnè totius Cleri protestatione, & sæcularium Catholicorum reclamatione obviatum est, ut ipse Articulus 5. 1647. indubie perhibet, ac docet, ut adeo hic idem Articulus ob præmemoratum contradictionem
dicta-

dictamine partis secundæ titulis 3. & 4. adjectam ei clausulam *Contradictionibus Dominorum Cleri* penitus annullante, numquam in usum, ac vigorem assurrexit; neque aliam profecto Causam invenire, aut reddere possumus, cur in Diplomate, seu Ferdinandi 4. sive Leopoldi I. conditione tractante de religione utrobique 6. nulla hujus Articuli 5. vel verbulo fiat mentio; cur item sola ad puncta pacificationis Viennensis, & Articuli 1. 1608. provocatione totus de religione tractatus concludatur: certe Domini protestantes hoc prædominii sui tempore ad stabiliendam suam religionem provocare ad citatum, & in pacificatione Lincienti radicatum Articulum 5. 1647. non intermisissent, prout etiam conditione prima utriusque diplomatis pro manutenendis communibus libertaribus, prærogativis, & immunitatibus pacificationem hanc Viennensem allegarunt, nisi recognovissent, factoque suo confessi fuissent, sæpe attactum Articulum 5. 1647. contradictione adfectum, numquam in legem migrasse, aut vigorem obtinuisse. Lincientis proinde pacificatio, & provocatus Articulus 5. 1647. pro cînosura pertractandi negotia religionis adoptari, aut constitui haud potest. Sed neque Viennensis pacificatio, & subsequus Articulus 1. 1608. ad eum finem, & scopum deservire valet. Siquidem

9no. Domini Protestantes utriusque confessionis manifesto Articuli 21. Anni 1687. tenore non tantum posterioris Linciensis, sed & prioris Viennensis pacificationis, nec absimiliter concernentium præcitorum Articulorum beneficio, per eius abusum profus exciderunt, & ad statum primitivum antetolerantialem adeoque ipsam etiam pacificationem Viennensem præcedentem plene repositi sunt, relicto ipsis ex gratia dumtaxat, & clementia regia ad tempus indeterminatum favore Articulorum 25. & 26. 1681. & hoc modo etiamnum persistunt; religionis igitur illorum exercitium ne hujus quidem Viennensis pacificationis punctis, ac subsequis Articulis confirmari potest, sed unice ex arbitrio, & beneplacito regio, cui totum religionis negotium dictamine Articuli 21. 1687. & 30. 1715. ex æquo delatum est, pertractari debet. Denique

Iomo. Ipsum etiam jurisjurandi sacramentum, quo sub ingressum regni Comitiorum solemniter nosmet obstrinximus, prohibet, ac vetat, objectum religionis nobis consentientibus, aut conniventibus in censum conditionum diplomaticarum referri. Illius enim juramenti religione, ac vinculo tenemur, sumusque obligati *ad procurandam animorum concordiam, & publicam regni tranquillitatem*: utraque
autem

autem sensu, & interpretatione legum, signanter Articulorum 46. 1741. Articuli 12. 1550. & manifestius 23. 1687. consistit potissimum in unitate religionis. Libet verba ipsa posterius provocati Articuli recitare: *ad conservandam porro (verba sunt legis) animorum concordiam, & publicam regni tranquillitatem, quæ in unitate religionis potissimum consistere dignoscitur* &c. jam vero quemadmodum ex allegato legis contextu clare, & evidenter patet, nos, dum procurare animorum concordiam fide publica polliciti sumus, spondisse simul unitatem religionis, in qua ipsa consistit; & per legem radicatur, pro viribus procuraturos, ita ex adverso consecutione legitima inferitur: nos perjuravisse, & reatum perjurii ipso facto incurfuros esse, si consenserimus ad stabiliendam religionis diversitatem, ex qua, converso legis argumento, discordiam nasci necesse est animorum.

Nos itaque, quod jurejurando solemniter promisimus, fide integra, atque intemerata, modo exequimur, ac præstamus; & primo quidem Inclytos Status & Ordines ardentissimis precibus oramus, ac per quidquid cuique carum, sanctumque est, obsecramus, ne ad condendas diplomaticas sanctiones ullam de religione conditionem obrepere, aut mentionem injici patiantur; hanc enim unicam superesse viam ad pro-

curandam animorum concordiam planam, & expeditam, certum, ac persuasum tenemus. Quodsi proinde flagrans, quam sincero corde profudimus, deprecatio nostra vim, robur, & efficaciam haud obtineret, eum in casum, momentis, & rationibus ex præmissis, aliisque præterea motivis alta interim mente repositis, subinde autem pro re nata in medium adducendis communi totius Regni Ungariæ Cleri, voce, & subsellio inter Inclytos Status pollentis, qua ejusdem repræsentantes, nomine, solemni interposita protestatione palam, publice, & manifeste contradicimus, & reclamamus, illud pro jure debita cautione reservantes, ut in contrarium votis, & conatibus nostris eventum in eodem diplomatis Article, cui postularum religionarium ne fors inferetur, solemnis quoque protestatio nostra patheticis terminis ingrediatur, ex qua nimirum intelligat coronandus in Regem Princeps, eam conditionem diplomati appositam esse Clero univervo contradicente.

Ut autem præsens contradictio, & protestatio nostra plurium consensione & suffragiis validior efficiatur, demisse postulamus, eam per extensum Incl. Superiori Tabulæ ex isto adhuc regnicolari confessu communicari, quo percepta etiam Dominorum Prælatorum, & Baronum, seu Magnatum animi sententia, uniusne, an plurium

plurium Staruum nomine insigniri debeat, discerni, specificarique possit.

Suprema tandem, quam in exitu declarationis nostræ coram Inclytis Statibus & Ordinibus proferimus, & prosternimus, superest peroratio, ut si denique potioribus calculis aliqua pro parte Augustanæ, & Helveticæ Confessionis in diploma obreperit conditio, in favorem itidem Romano Catholicæ religionis, nostræ, quæ isthic subjicimus, demissa postulata ibidem inferantur.

Digna certe non consideratione tantum, sed attenta etiam, ac diuturna meditatione petitio: septeni nempe, & quod paululum excurrit sunt Incl. Status, & Ordines animarum, seu individuorum Millions, quos Sacra Regni Corona universim complectitur: ex his recenti occasione Parochiarum regulationis peracta, & ad apicem exacta recensione perhibente, numerant Romano-Catholici suorum ultra quatuor Millions, centum viginti, & amplius millia. Græci ritus Catholicus, & non unitus simul populus millionem unum, & millia prope trecenta. Helvetica Confessio millia octingenta, Augustana circiter tantundem.

En Summarium promiscui corporis, & populi Hungarici Catastrum, ex quo dignentur Inclyti Status, & Ordines arbitrari, quantus hominum manipulus sit, quantulaque regni portio, quæ nobiscum de juris, & exercitii religionarii (de reliquo enim conticescimus) æquilibrio colluctatur. Dignentur dein ex eo ipso ducere conjecturam, num æquum, ac præferenter conveniens sit, ut, cum Dominorum Protestantium vota ne fors in conditionibus diplomaticis locum obtinuerint, nostræ etiam preces, & petitionum capita illic inferi admittantur.

Nos paucis multa complexi sumus, reliquum est, ut postulata ipsa diplomati, quod suppliciter petimus, inferenda specificemus. Hæc autem ad tria potissimum capita revocamus, suntque sequentia.

1^{mo} Ut leges omnes, exasperatis quibusdam exceptis, in favorem Catholicæ religionis inde ab ætate Sancti Stephani temporum successu perlata, ac sancitæ innoventur, peculiariter vero Articuli 5^{ms} 1548. 12. 1550. 31. 1563. denique 46. 1741. in vigorem asserantur, & omni meliore, quo potest fieri, modo in realem effectum deducantur.

2^{da} Articulus 22. 1604. in tota sui extensione canonizetur, & præcipue quoad §. 9. in distinctum, ac recentem Articulum adoptetur. Denique

3^{ta} Pœnæ Apostatis dictatæ, ac statuatæ, tum ob ipsam criminis atrocitatem, cum ob temeritatem, atque contemtum dominantis, hæreditariæ, & constitutionalis Catholicæ religionis Majestatem restabulantur, aut novæ constituantur.

Isthæc postulata uti juribus, & æquitati conformia esse cognoscimus, ita casum in præmissum diplomaticæ conditioni inferi apud Inclytos Status & Ordines fiducialiter flagitamus.

DECLARATIO

Augustanæ, & Helveticæ Confessioni addictorum contra Repræsentationem ex parte Catholicorum in congregatione Comitatum Pest, Pilis, & Zold Anno 1782. die 5. Febr. Pestini celebrata, porrecta.

Quod pacta bilateralia, quales sunt Viennensis, & Linciensis pacificationes velut transactiones

nes redolentes, per unilaterales leges, præsertim a parte altera contradicte tolli, vel alterari non possint.

Quod privilegia etiam nonnullis civitatibus contra jus commune, seu publicum, per prævias pacificationes impetrata, de lege non valeant.

Quod jam Anno 1647. pacificationis Lincienfis puncto quarto *negotium religionis Majestati sit delatum, ita quidem, ut si in Diæta, desuper amice status convenire non potuerint, regia Majestas auctoritate Sua eadem finaliter complanet, cum satisfactiõne Evangelicorum.*

Quod recentioribus legibus amplius adhuc negotium religionis Majestatibus sit delatum, & tam eminenter usu roboratum, ut amplius in Comitatibus, & Civitatibus quæstiones in negotio religionis nec disputarentur, quamprimum constitit, quod res auctoritate Majestatis sit superata.

Quod ad bilateralem pacificationem Vienneensem Anno 1608. inarticulatam Croatia etiam influxerit, consequenter Articulus 1687. velut æque unilateralis eidem derogare non potuerit,

merit, patet id ex ipsius pacificationis Viennensis, conclusionis §. 27. patet item ex litteris asscuratoriis Hungaris, Bohemis &c. datis eidemque pacificationi adnexis, in quibus Nuncios, & ablegati Regnorum Dalmatiæ, Croatiae, & Sclavoniæ, ex parte Suae Majestatis a sua serenitate ad tractatum evocati nominantur, patet denique ex ipso Sacro Ferdinandi 3ⁱⁱ Diplomate Capitulationem redolente, & pacificatione Lincienti pro norma perpetua, & publico gentium jure immutabili superandorum in negotio religionis gravaminum constituto, cujus non tantum præambulum, partes adnexas complectitur, sed punctum etiam primum præmissam pacificationem confirmans specialiter innuit, quod regia Majestas præmemoratum quoque conclusionem tractatus Viennensis inviolabiliter observabit, hinc consequitur.

Quod vocabula illa pacificationis Viennensis puncto primo inserta *regno Hungariæ solum*, non sit Croatiae, Sclavoniæ, & Dalmatiæ exclusiva, quia Croatia, Sclavonia, & Dalmatia semper erant pars Regni Hungariæ, & ut præfertur, ad pacificationem Viennensem influxit, verum referenda sit, ad hæreditarias germanicas provincias, ut sunt Bohemia, Moravia, Silesia &c. æque ad pacificationem concurrentes.

Quod

Quod actu etiam dentur in Croatia aliquot Ecclesiæ Evangelicorum, Græci ritus autem non uniti homines tanti, si non plures, quanti ipsi Catholici.

Unde concluditur, quod negotium religionis velut jam ante semialterum sæculum patris bilateralibus pro perpetua norma habendis constabilitum, ac iam ante centum triginta quatuor annos pacificatione Linciensi, ac successive 1715. ipso Romano-Catholicorum facto, in jus Majestaticum translatum, nec quoad Croatiam velut ad pacificationem Viennensem influentem, multo minus nonnullas Civitates factis unilateralibus præsertim contradictis (quia & continui catenus ad Majestatem recursus pro resensu habendi sunt) alterari poterit: & *nec semel regnicolariter Majestatibus delatum religionis negotium, amplius a continuo usu roborato jure Majestatico abstrahi poterit.*

Prout Augustanæ, & Helveticæ Confessionis Incltyti Comitatus hujus commembra, benignæ Sux Majestatis Sacratissimæ resolutioni communi bono, & fundamentalibus regni legibus superædificatæ firmissime insistent, & pro clementi, ac spontanea redintegratione fundamentalium regni legum factis unilateralibus mutilatarum, qua veri Patriæ Cives Sux Ma-

jestati Sacratissimæ in homagiali devotione gra-
tias agunt, nec in rescriptum Catholicorum
quoquo modo consentiunt, quia & sigillum,
& Calamus Notarialis communia sunt, si non
in majori parte Augustanæ, & Helveticæ
Confessioni addictorum.

